

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11740

2171

## L I T U R G I C I .

2172

Deum Possessor: *Da mibi igitur famulo tuo Carolo sedium tuarum affricem sapientiam &c.* Ceterum nolim praeterire illustres Personas, quae se eidem propria manu commendavere. Ita fol. 21. p. 2. legas: *Jamais je ne seray contente, si ne me tenez pour Votre treshumble Tante. Marguerite.* Filia videlicet Maximiliani I. ex

*Maria Burgundica*, tribus, ut notum, Hymenaeis infelix, et demum *Belgii Gubernatrix usque ad annum mortis 1530*. Princeps ingenio celebris, ut inter alia vulgatum testatur Epitaphium, quod sibi in naufragii discrimine composuit, et brachio adligari voluit:

Vel, ut alii volunt:

*Ci git Margot la gentil Damoiselle, Qu'a deux maris, et ancora est pucelle.*

Varia de Ea inter Codices Eugenianos suo tempore referentur. Fol. 86. p. 2. *Je me mets en cette place en Vous suppliant tressumblement Monseigneur, que puise toufiours estre en Vostre bonne grace. Vostre treshumble et tressobeissant S. P.* Fol. 131. p. 2. *Je demoray (sic) toute ma vie Nostre treshumble Servante et amie. Marie. Sororem intelligo Caroli, quam post funestam Ludovici Reg. Hung. māriti caedem itidem Belgio praefecit. Demum in theca postica: Cest mon heur. Brandenburgk. Fortasse Joachimus II. Astrologiae deditus.*

DCCCCIV.

R. 2037 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 218. 8. elegantissime perscriptus, et Literis Initiorum omnibus ab egregio Artifice

adpietis illustris ad antiqua Pieta-  
tis *Austriacae* Monumenta per-  
nit, datus post *Ferdinandi Archid.* qui *Tyrolim* obtinebat, mor-  
tem ad Parthenonem *Oenipontanum* vulgo *Regelhaus* dictum, et  
inde ad nos delatus. Continet ve-  
ro pias in ejus Principis exquisiti  
Artium amatoris usum *Precatio-  
nes* optimo delectu, ductuque a  
*Psalmis*, quos *Poenitentiales* vo-  
camus, initio, adjunctis OO. SS.  
Litanis, ad quas Oratio pro Imperatore ita concepta est: *De-  
us Regnorum omnium et christiani  
maxime protector imperii, da ser-  
uis tuis Imperatori nostro F. (Fer-  
dinando I.) et Liberis suis (Ma-  
ximiliano, Ferdinand, Carolo)*  
*triumphum uirtutis tuae scienter  
excolere, ut qui tua constitutione  
sunt principes, tuo munere semper  
sint potentes.* Fol. 30. ad Medita-  
tiones in *Pater Noster* Archi-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11740

2173

## C O D I C E S

2174

dux ipse de genibus precabundus conspicitur. Saepe etiam occurrit *mibi famulo tuo F. me famulum tuum F.* &c. Ultimae sunt Preces festae secundum ordinem Memphis et Romanam et Pragensem Rubricam, quo loco Pragensem notari conjicio, quod Archidux junior in Patris familia saepius Pragae ageret, ibique Preces haec primum scriberentur; nam in praesenti Exemplo jam virili forma depictus est. Istud porro scriptum esse labascente jam Patris valetudine, argumento est Oratio fol. 215. pro infirmo nostro Imperatore Ferdinando. Quodsi Picturae artificium Scripturae elegantiae aequa responderet, non dubitarem totum Codiculum referre ad Hoefnagelium, cuius splendidissimum Missale hoc Vol. retuli.

DCCCCV.

C. 946 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 347. 4. min. luciente et eleganter perscriptus, litteris initiorum pulcre deauratis, depictisque, tum sacris Iconibus ultra XL. partim integrum, partim medianam paginam occupantibus exornatus, quondamque *Hallenensis* Parthenonis in *Tyroli*, Liber Precum est hunc in modum coaptatus: Praeit Calendarium adpiatis, ut solet, laboribus mensbris, et Signis Zodiaci, ad quae id singulare, quod Signo cuivis addita sit Hominis nuda figura, quae a plerisque illis animalibus, puta *Piscibus*, *Ariete* &c. quin et *Geminis* dire tractatur. XII. kal-

*Mart.* adscriptum: *Adam hic peccauit.* Ceterum multa SS. nomina primae manus *Galliam* respiciunt; infarcta vero a secunda *Translatio Erici*, *Ansgarius*, *Sigfridus*, *Ericus*, *Eschillus*, *Botulphus*, *Brigittae Obitus*, *Botwidus*, *Olaus*, et *Brigittae Canonizatio Suecum* subparem possessorem arguant, ut adeo *Codex* hic fortassis in *Christinae Regiae* comitatu delatus in *Tyrolim* fuerit. Initium ei dat *Psalterium*, inter cujus picturas memorabilis est illa *Psalmus XIII. Dixit Insipiens* &c. praefixa fol. 65. Insipientis Deo e nube prominulo et minanti dextra fustem intentantis, sinistra, nescio quid, lapidis instar stringentis, et circum pedes a canibus impetiti; item illa fol. 96. p. 2. *Davidis* seriem tintinnabulorum 7. gemino malleolo percutientis. A fol. 165. p. 2. sequuntur reliqua *Cantica Biblica* cum SS. Litanis, Matutinum officium et *Laudes de B. V. Maria*, Commemorations de Trinitate, S. Spiritu, Cruce, et variis Sanctis, quae *Memorie* sive *Istorie* inscribuntur, et Icones praefixas habent, reliquae Horae de Beata, de Passione Domini, de S. Spiritu, Psalms Poenitentiales, Officium Defunctorum, Horae de Trinitate, et de S. Anna. Haec pietatis exercitia in usum Reginae cuiusdam descripta fuisse, credibile mihi facit Icon quinques repetita Feminae coronatae eodem habitu et vestitus colore coram Deo, aut B. V. genuflexae, quae cum semper tapeti caeruleo liliis aureis confito incumbat, semel